



1798, 6
1049. 6

COMMENTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
NONNVLIS FVNDAMENTIS
OBLIGATIONVM
EX PACTO TERTII QVAESITARVM.

Q V A M

SVB AVSPICIIS REGIIS

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRO SVMMIS

IN VTROQVE IVRIS HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS

PVBlice DEFENDET

DIE VII. APRILIS c1010cccXCVIII

FRIDERICVS LANG

LVBECO - HOLSATIENSIS.

GOTTINGAE,

IN OFFICINA BARMEIERIANA.

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LIBRARY
NOVEMBER 1948
ORIENTALISCHES
INSTITUT
LEIPZIG

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LIBRARY
NOVEMBER 1948
ORIENTALISCHES
INSTITUT
LEIPZIG

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LIBRARY
NOVEMBER 1948
ORIENTALISCHES
INSTITUT
LEIPZIG

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LIBRARY
NOVEMBER 1948
ORIENTALISCHES
INSTITUT
LEIPZIG



AD
PRAECEPTOREM OPTIMUM
ATQVE
INDVLGENTISSIMUM
VIRVM SVMME REVERENDVM
IOANNEM CHRISTOPHORVM
WALTHER
SACRORVM WINSENÆ PAGI LVNEBVRGICO-CELLENSIS
MINISTRVM PRIMARIVM

HASCE STVDIORVM ACADEMICORVM

PRIMITIAS QVALESCVNQVE

VT PIETATEM ATQVE CVLTVM PROBAREM

MITTO

AVCTOR.

PRAEFATIO.

L. B.

Summum omnis iuris, tam positiui quam rationalis principium cum sit, neminem obligari ex facto alterius siue licito siue illicito, singularis et mira est res in disciplina quam uocamus iuris prudentiam, nonnunquam tamen obuenire, aliquis ut obligetur ex pacto alterius, qui nec ipse contraxit, nec contrahentis heres factus fuit. Excitati nutu praeceptoris illustris Waldeckii, animum nostrum qui hanc ad rem attendit, conati sumus, inquirere, quatenam sint fundamenta, quibus talis obligatio niti queat. — Aliquatenus hac in inquisitione progressi, nobis nec inutile visum fuit, separare ius germanicum a iure romano ne diuersa diuersorum iuris corporum principia, a nobis miscerentur et confunderentur. De hoc in priori, de illo in ulteriori capite agere, mens erat. Jure romano autem, haec

haec obligatio, omnia nisi nos fefellere, duobus praesertim nititur fundamentis, nempe α) aliqua praepositione et β) versione in rem nostram ab altero facta. Haecque praepositio fieri potest. a) a domino negotii ipso per mandatum quoddam siue 1) speciale s. 2) generale. b) a magistratu et c) a lege ipsa.

Hanc omnem materiem persequendi, immo, exiguis ingenii nostri viribus licitum si fuerit, in dissertatione quam vocant inauguralem, funditus exhaustiendi, nobis praeposueramus: perturbati autem nonnullis molestis atque tristibus eventis, quae nobis impedimento erant, quo minus mente adtentata, hac de re agere potuimus, non in manu fuit, tam brevi temporis spatio, quod nobis concessum erat, propositum nostrum ea, quae desiderabat sedulitate, ad finem perducere.

Lege autem iubente, ut gradum doctoralem adire qui vult, hac occasione aliquod scriptum inaugurale publici iuris faciat, hanc commentationem, tanquam farraginem aliorum fragminum uberius opusculi, quod tempore sequente edamus, si otium erit, nec docti censeant, nos omnino invita Minerva hoc munus suscepturos fore: Tibi proferimus, atque si non omnia superflua videantur, gaudebimus.

CONSPECTVS.

I. *Theoria pactorum generalis* §. 1-16.

Pactum quid sit §. 1.

Eius requisita *promissio* et *acceptatio* quae *mutuum efficiunt consensum* §. 2.

Variae consensus species §. 3.

Eius requisita

α) Vt sit *possibilis* §. 4. hinc deducitur.

a) Quoad *subiectum* pacti, nonnullas personas paciscendo esse inhabiles §. 5.

1. Absolute §. 6.

2. Secundum quid §. 7. porro.

b) Quoad *obiectum* pacti aliquas res habiles non esse §. 8. §. 9.

β) Vt sit *verus* §. 10. ex quo apparet dolus, vis, metus et error vt abesse debeant. §. 11.

Causa pactorum obligandi.

a) Iure rationali controuersa §. 12.

b) Iure positiuo est declarata legislatoris voluntas

§. 13.

Effectus pacti §. 14-16.

a) Inter paciscentes §. 14.

b) Inter alios §. 15. in genere nullus §. 16.

II. *Transitus ad thema dissertationis.*

Quod principium iuris stricti, iure praetorio restringitur, quo statuitur nonnullis in casibus aliquem ex alterius pacto obligari posse §. 17. quo actiones ex contractu novum fundamentum sortiuntur. §. 18.

Quod fundamentum constituit.

A. *In consensu et quidem.*

α) *Specialiter declarato* §. 20-26. quo refero.

1. *Mandatum* §. 21-23. a) iure antiquo §. 21. b) iure nouo §. 22. actio qua persequitur ius suum tertius, est quasi infortoria §. 23.

2. *Iussum* §. 24-26. actio quod iussu §. 25. applicatur vtile. §. 26.

β) *Generaliter declarato*. §. 27-39. quorum in numero repono.

1. *Praepositionem infortoris* §. 28-30. quis sit Infortor §. 28. actio infortoria §. 29. eius requisita et vsus §. 30.

2. *Praepositionem magistri navis* §. 31-34. Magister navis et exercitor quis §. 31. nonnulla huius negotii singularia §. 32. actio exercitoria §. 33. eius requisita et vsus §. 34.

3. *Concessionem peculii* §. 35-39. dispositio §. 35. tantum vim exferit in peculium profectitium §. 36. quaestio; vtrum iam sit iuris rationalis, tantum est facti §. 37. actio de peculio §. 38. eius vsus hodiernus exiguus, tributoriae autem nullus §. 39.

B. *In versione in rem* §. 40-47.

Ratio legis §. 40. quam ius praetorium introduxit emendando ius ciuili antiquum §. 41. In rem versum quid sit §. 42. quatenus impensae vtilis, necessariae et voluptuariae §. 43. actio de in rem verso §. 44. eius requisita atque indoles §. 45. personae litigantes actor. §. 46. reus §. 47.

§. 1.

Quid sit pactum.

Pactum est promissum acceptatum a) .l. plurium personarum in idem promissum consensus, declaratus ad fundandum ex vna parte obligationem perfectam aliquid praestandi, ex altera autem ius perfectum illam praestationem exigendi b).

Vlpiani in L. 1. §. 2. de pact. data definitio, Pactio-
nem duorum pluriumue in idem placitum esse consensum,
nobis non placet, cum nec satis accurata videatur. Non
enim excludit Votum. cf. tamen L. 1. §. 3. D. de pignori-
b. L. 30. D. de pact. doct.

a) cf. I. H. BÖHMER Diff. de suspect. conv. form. cap. 1. §. 2. in
Exerc. ad Dig. T. II. Exerc. 27. WALDEBERTI Inst. I. civ. §. 582.
HYFELAND Lehrf. des Naturrechts, Jena 1795. §. 267. HEYDEN-
REICH Syst. des Nat. R. Leipz. 1794. §. 291.

b) cf. GLÜCK ausführliche Erläuterung der Pand. nach HELLFELD
T. IV. p. 49.

Pactorum requisita.

Ex hac notione sequitur, omne pactum requirere.

1. *Promissionem*, quae est, declaratio voluntatis se alteri certum quid praestaturum, siue eius intuitu omissurum, a) et

2) *Acceptationem*, quae est consensus declaratio in promissionem faciam b) quae coniunctae princeps omnis pacti fundamentum, *mutuum consensum* efficiunt.

a) Allgem. Gef. B. für die preussischen Staaten Th. 1. Tit. V. §. 2. L. 132. de V. O. L. 19. §. 1. de aed. ed. L. 1. §. 4. de conf. pec.

b) HVFELAND I. c. §. 265. 266.

Variae consensus species.

Consensus diuersis modis declarari potest, tam *expresse* quam *tacite* a) nonnumquam etiam, absque vlla declaratione, propter indolem aliquorum factorum, quam vel sua natura vel ex legis dispositione habent, praesumitur, et tunc nominatur *praesumptus* b) qui eandem vim habet obligandi quam expressus, attamen contrariam admittit probationem. Quartam consensus speciem nempe *ficti* c), doctorum aliqui sibi etiam finxerunt, quae opinio, diuersis aliis
fatis

fatis ridiculosis sententiis anfam dedit, quem vero errorem hodie nemo, ut mea fert opinio amplius defendit.

a) FRIDER. GEO. LAVTENSACK de accurato discrimine inter consens. exp. tacit. et praesumpt. Erf. 1710. HÖFFNER comment. ad Inst. §. 735. p. 672. Frcf. 1795.

b) Semper requirit aut legem, aut facta concludentia, v. MENCKE (G. Ludw.) diss. de factor. ind. in tac. renunc. in Opusc. nro 16 L. 3. D. de pact. L. 57. eod.

c) cf. BÖHMER introd. in ius Dig. Lib. II. Tit. 14. §. 15. — Obligationes descendere quas volunt; hoc ex ficto consensu, immediate ex legis dispositione originem trahunt, quibus adnumerandae sunt maxima ex parte etiam obligationes quasi ex contractu. cf. WEBER systematische Entwicklung der Lehre von der natürlichen Verbindlichkeit §. 24. IAC. ZAHN de fictionibus iuris romani, Tubingae 1787.

§. 4.

Consensum oportet esse possibilem.

Consensus autem, vt efficiat pactum validum, esse debet *possibilis*, tam phyfice quam moraliter s. legis dispositione a).

a) HVFELAND l. c. §. 276.

Personae ad contrahendum inhabiles.

Hinc sequitur I. aliquas personas contrahere posse vel nullo modo vel tamen non in tantum, vt se ipsos siue suorum bona obligent.

A b s o l u t e.

Contrahendo absolute inhabiles a) sunt 1. furiosi b) et dementes c), 2. summe irati d) 3. Ebrii e) et 4) Infantes f).

a) De principiis iure rationali huc obtinentibus cf. HVFELAND l. c. §. 275. nro 7.

b) cum autem hic status furoris et dementiae causa sit inhabilitatis, nil obstat quo minus in dilucidis interuallis valide contrahere possint, Arg. L. 9, C. qui testam. fac. L. 14. D. de offic. praef. ZACHIAS quaest. med. legalis Lib. II. Tit. 1. quaest. 21.

c) L. 2. C. de contrah. E. V. melancholia et morbus per se, nullam dant iustam causam inhabilitatis, quod etiam de statu agonizantis dicendum est. Arg. L. 2. 3. 10. 12. C. qui testam. fac. L. 13. C. de testam. CARPZOW in iurisprud. for. Part. III. conf. 5. Def. 1. dissent. tamen CLAPROTH in der Rechtswissenschaft von richtiger und vorsichtiger Eingehung der Contracte und Verträge Th. I. §. 6. p. 13. GÖTZ Beiträge zur populären Rechtsgelehrsamkeit B. I. p. 257.

d) L. 48. de R. I. conf. tamen ERNST CHRISTOPH WESTPHALS Grundätze von rechtlicher Beurtheilung der aus Hize des Zorns unternommenen erlaubten und unerlaubten Handlungen.

e) ne-

e) nesciunt enim quid loquantur qui nimio vino indulgent Can. 7. Caus. 15. quaest. 1. Can. 5. distinct. 36. Cap. 14. X. de vita et honest. clericor. BODINVS (HENR.) de iure circa Ebrietatem.

f) quia huiusmodi aetatis personae nullum habent intellectum L. 1. §. 13. de O. et A. L. 70. de V. O. L. 26. C. de Donat. VINNIUS comment. ad Inst. Tit. de inutilib. stipul.

§. 7.

Secundum quid.

Secundum quid tantum contrahendo sunt inhabiles
 1. *Prodigi a)* ciuilitate tales qui acquirere quidem, non autem absque consensu curatoris alienare aliquid possunt.
 2. *Surdi et muti b)* quatenus validitas pacti requirit verba enunciata et audita. 3. *Impuberes* infantia maiores, qui valide obligare aliquem c), non autem absque auctoritate tutoris obligari possunt d). 4. *Puberes minores* curatorem habentes respectu bonorum absque eius consensu obligari nequeunt. Curatorem autem qui non habent, sicuti omnes, respectu personae obligantur tamquam patres familias e).
 5. *Filii familias* cum patre f) ob unitatem personae tantum quoad peculium militare et aduentitium irregulare, valide contrahere possunt. Cum extraneo autem, intuitu omnium quas habent rerum g), excepta acceptatione *mutui h)* valide contrahunt et denique 6) *Serui* qui nec se obligare nec sibi acquirere aliquid possunt i).

- a) L. 6. de V. O. L. 3. de Nouat. cf. COCCEN I. civ. contro
Lib. II. Tit. 14. quaest. 32.
- b) Quod hodie nec facile accidat, cum non utamur stipulationibus,
alias enim valide contrahere possunt, dummodo eorum voluntas,
fatis certa sit.
- c) §. 9. I. de inut. stip. L. 5. R. I.
- d) Pr. I. de auct. tutor. L. 5. Dig. eod. §. c. de inut. stip. non-
nunquam tamen, quod dicunt *ex Re* obligantur, quae obligatio,
nullam tutoris auctoritatis interpositionem postulat. L. 14. D. de
cond. indeb. L. 13. §. 1. eod. v. infra §. 40. sq.
- e) HOFACER pr. iur. civ. rom. germ. T. 1. §. 696. L. 3. C. de
in Intergr. rest. L. 70 de ritu nupt. L. 101. de V. O. L. vlt.
§. 2. eodem, negant quidem STRUBEN Th. 3. Bed. III. p. 380.
WEBER von der nat. Verb. §. 73. p. 319. GLÜCK Erläuter. der
Pandecten. Th. 4. p. 83. sq. COCCEN I, contro. Lib. II. tit. 14.
quaest. 31. f. aliique, hanc distinctionem hodie admittendam esse,
cum ob sanctionem ord. Pol. Imp. de Ann. 1577. Tit. 33. num-
quam obtinere queat, minor ut sit absque curatore. Quem autem
quaeso, habent curatorem, minores qui patriae potestati adhuc ob-
noxii vel eam ope institutionis separatae oeconomiae relictii sunt
hanc ob causam illorum et mehercle praestantissimorum Icto-
rum auctoritas, nullo mihi impedimento est, quo minus WAL-
DECKII Viri illustris et praeceptoris, omni pietate colendi, arri-
piam sententiam, in praelectionibus, qui satis dilucide demonstrat,
illam iuris romani dispositionem, omnem adhuc hodie vim habere.
- f) §. 6. I. de Inut. stip.
- g) L. 29. de O. et A.

- h) Ob functionem Scti Maced. L. 2. ad Sctum maced. nec voto suo, sine patris auctoritate obstringuntur. L. 2. §. 1. de pollicit.
 i) Tit. I. de stipul. fervor.

§. 8.

Obiectum pacti.

Ex eodem fundamento II patet *aliquas res a)*, habile pacti obiectum recusantes esse. De omnibus enim, quibus legibus vel positivis vel naturae *in tantum* valide et efficaciter consentire prohibemur, nec paciscere licet. Hinc iure iam rationali, omnia pacta quibus bonum inalienabile (unveräußerliche Güter) in alium transferre volumus, sicuti de re impossibili *absolute* sunt *nulla b)*.

- a) Vocem *Rem* sensu latissimo quo opponitur *personae* ideoque continet etiam *facta*, hoc loco accipio.
 b) cf. HUFELAND l. c. §. 276 sq. Gef. B. für die Pr. Staaten Th. I. T. IV. §. 5. sq. Tit. V. §. 29.

§. 9.

Inhabile.

Sic in genere nec valet pactum de facto inhonesto a); siue lege vetito b) neue de re aliena, adeo ut tertius ex hoc pacto obligetur; nisi specialis addit causa hac de regula exceptionem faciens.

a) L.

- a) L. 31. de O. et A.
 b) Sic pactum de quota litis L. 53. D. de pact. Pactum de palmario.
 I. Ro. pacta successoria L. 15. L. 19. C. eod.

§. 10.

Consensum oportet esse sincerum, mutuum et certum.

Hicis limitationibus obseruatis, omnes personas de omnibus rebus valide contrahere *posse*, indubitati iuris est. Non immerito autem praeter hoc, lex ad pacti validitatem requirit; eas etiam *velle*. Hinc inde constituit consensum ut oporteat esse *sincerum a) mutuum b) et certum.*

- a) Hinc *negotium simulatum* h. e. quod agi videatur, sed agere animus non erat, nullam vim habet. L. 55. ff. de contrah. E. V. nil operante renunciatione exceptionis simulati negotii, omne enim negotium cum sit simulatum, et illa ipsa renuntiatio simulata est. Negotium autem *diffimulatum*, nullo speciali vitio laborans; subsistit.
 b) L. 55. de O. et A. in hoc discrepat 1) ab *oblatione* quae est declaratio ea mente facta, ut alter se declarat an acceptare velit, absque tamen animo sese iam obligandi. 2) a *tractatibus*, quae sunt oblationes reciprocae ad pactum ineundum factae et 3) ab *assertione*, cf. BÖHMER Introd. in I. Dig. Lib. II. Tit. 14. §. 9-12. et denique 4) a *pollicitatione* cf. Lib. 50. Tit. 12. eod.

§. 11.

Dolum, vim, metum et errorem abesse oportet.

Huius sinceritatis cum sit requisitum essenziale, mera contrahentium *voluntatis libertas*, omne id, hanc libertatem quod tollit, et pactum in tantum reddit inualidum. Hinc *Dolus a) Vis b) Metus et Error c)* positus terminis habilibus omne vitiant pactum.

a) GMELIN von den Folgen des Betrugs bei Verträgen in den gemeinnützigen juristischen Beobachtungen und Rechtsf. B. II. N. 13. NETTELBLADT Diff. de doli incid. et causam dantis in cont. effectu Allgem. Gef. B. für die Pr. Staaten Th. 1. Tit. V. §. 349. sq.

b) IOH. CHR. RVDOLPH Diff. de Effectu metus in pact. et contract. Erlangae 1760. GEORG FRIDR. WALCH Diff. de negotiis et actibus vi metuae extortis ex iure Romano partim ipso iure nullis, partim a praetore rescindendis. Jenae 1790. I. H. BÖHMER Diff. de Exceptione metus iniusti in statu naturali et ciuili, Halae 1720.

c) HENR. RENNEMANN Diff. de Negotio vel pacto inuoluntario praecipue coacto et fortuito vel ignor. aut Errore iuris factiue praefato. In prolegom. iurisprud. Rom. Germ. Nr. 20. NIC. HIER. GVNDLING über die Lehre vom Irrthum in der Rechtsgelahrtheit, in GVNDLING. St. 33. Nr. 1. CHR. FR. MEISTERI comment. de effectu erroris in emt. et vend. Goet. 1751. LEYSER de ighorantia et errore. Spec. 289.

*Causa qua de re pacta obligent iure rationali est
controuersa.*

Pactum legitimo modo constitutum videamus quosnam habeat effectus, antea autem sit licitum ut de eius *fundamento* siue *causa obligandi* aliqua adiiciamus, qua de causa in iure rationali multum disputatur. Philosophorum enim alii eam fundatam esse volunt, in quodam *principio innato* a) alii in *obligatione pactorum seruandorum interna* b) alii in *mutatione obligationis imperfectae in perfectam* c) alii in necessitate sanctitatis pactorum, siue ad *felicem negotiorum societatis gestionem* d) siue ad *conseruandam pacem* e) alii in *obligatione interna expectationem facto nostro effectam non fallendi* f), aliique aliis in principiis g).

a) (*Principe inné*) ROUSSEAU Emile T. II. not. i.

b) SELLE Berl. Mon. Schrift 1784. Februar p. 128.

c) MENDELSSOHN im Phaedon. p. 219. Jerusalem p. 45. 52.

d) GARVE Anmerk. z. Cicero de off. Th. I. p. 94. 95. PVENDORF de off. hom. et civ. Lib. I. Cap. 9. §. 3. BEYER delineat. iur. div. c. 17.

e) HOBBS de ciue Cap. II. §. 4. C. III. §. 1. Leviathan. c. XIV. XV.

f) FEDER Grundlehre z. Erkenntn. des menschl. Willens Th. 2. §. 17.

g) cf. SCHMALZ reines Nat. R. Königsberg 1792, Beiträge zur Berichtigung der Urth. des Publicums über die Französische Revolution. H. I. p. 121.

§. 15.

Iure positivo declarata legislatoris voluntas.

Inter Philosophos ergo et hac de causa sicuti plerisque aliis in rebus maximus est dissensus. Iure autem positivo, quamvis magna sit distinctio inter pacta sensu strictiori sic dicta et contractus, quae nostrum hac in disquisitione nullius interest, dubio procul causa omnis obligationis ex pacto remota, est *declarata legislatoris voluntas*.

§. 14.

*Effectus pacti.*a) *Inter pacificentes.*

Cessante omni distinctione, inter contractus, pacta vestita et nuda, hodie a) omne pactum sub limitationibus antea memoratis initum, producit obligationem perfectam respectu promittentis id praestandi quod in conventionem est deductum, et ius perfectum intuitu acceptantis perfequendi ius sibi competens ex hoc negotio quatenus vi iusta, promittens ad hanc praestationem, cogi possit b).

a) RVNDE Syst. des deutschen priv. R. §. 184. iuxta decantatum illud. Ein Wort ein Wort ein Mann ein Mann. cf. EISENHART Grundf. des deutschen R. in Sprüchwörtern. Helmst. 1759. h. paroem. I. prov. sax. Lib. I. Art. 7. Wer etwas borget oder gelobet, der soll es gelten, und was er thut das soll er stett halten. MEV. in comment. v. wucherlichen Contr. P. I. Cap. 3. §. 2. sq. Glauben nicht

zu halten ist bey den Deutschen die größte Schand, und mehr gewesen, also das die daran gemisshandelt, infames worden, keiner Ehren und Commercii gewürdiget, ja man schreibet, das man mit demselben nicht aus einem Geschirr trinken wollen, quod fuit inter illos infamiae species, nachdem sie den Trunk ergeben, und des Zutrinkens als Anzeige sonderbahrer Ehre und Freundschaft gewesen.

b) Nihilque interest, utrum haec praestatio consistat in *faciendo* sive in *dando*. Priori casu sunt qui velint, promittentem non expresse teneri ad factum ipsum, sed eum etiam obligationi suae satisfecisse, si *aestimationem* huius facti solvere vellet: proque defendenda hac sententia multas leges allegant, sic instar omnium L. 13. in f. D. de re iud. sed praeterquam saepissime difficillimum nisi potius inutile inceptum esset, factum aestimare, omnes leges citatae nil aliud dicunt, quam ut: „consentiente promissario, praestatione aestimationis ab obligatione ex pacto resultante promittens se liberare queat“, quod nemo dubitaturus foret, et si legibus expressis hoc non sancitum esset, cum iam ex principiis iuris rationalis immutabilibus fluat. cf. I. H. BÜHMER. Introd. in I. Dig. Tit. de pact. §. 22. HVFELAND l. c. §. 315. not. 1.

§. 15.

In alios.

Diuidunt pacta in *personalia* et *realia* quorum priora ea sunt indole ut a nullo, tertio impleri possint a). Hae sua natura contrahentem tantum obstringunt, etsi per accidens tertio nonnumquam obligatio ex iis oriri possit. *Realia* autem sunt ea quae potius rem quam personam concernunt,

nunt, de quibus valet principium: ex iis obligari etiam eum, qui hoc intuitu promittentis personam iuris intellectu sustinet. Sic heres tenetur in genere praestare facta defuncti.

a) V. g. Sponsalia, Mandatum resp. mandatarii etc.

§. 16.

In genere est nullus.

Quo Casu excepto in genere est principium: *Certissimum esse ex alterius contractu neminem obligari a)* cui principio iuris stricti, et ius hodiernum et sana ratio favent. Quam maxime enim offenderet atque oppugnaret omnia iuris rationalis principia, licitum si fuerit, alicui nocere aut obesse, quod fieret, si quis alterius ex contractu obstringeretur b).

a) L. 3 in f. C. ne vxor pro marito L. 82 D. pro socio L. 11. de O. et A.

b) BÜHMER de iure ex pacto tertii quaesito §. 3. in Med. ad Dig. Lib. II. Tit. XIV. Exercit. 28.

§. 17.

Iure praetorio hoc principium restringitur.

Hoc principium iuris stricti; quamvis summa aequitate nitatur, attamen nonnunquam in eius adplicatione fieri potuit, quod nec illud: *Summum ius summa saepif-*

C 3

sine

sine iniuria; omnino alienum fuerit. Praetores itaque, qui ad *ius civile antiquum* emendandum, omnes adhibebant ingenii nervos, et, quoad hoc principium, quod *nemo ex contractu alterius obligari posset*, medicinam adhibendam esse censuerunt. Hinc inde constituerunt, aliquem obligari posse ex contractu alterius, si vel sua voluntate ad eum concurreret, siue ex hoc pacto intuitu eius inito, locupletior factus fuerit a).

a) §. 1. I. quod cum eo qui in alien. pot.

§. 18.

Hinc inde actiones ex contr. nouum fundam. sortiuntur.

Haec obligatio autem vt etiam in foro civili efficax sit, peculiaria quaedam remedia a praetoribus inuenta sunt, quibus actioni ex hoc contractu *noua qualitate* superaddita, hoc modo obligatus conueniri potuerit. Eundem finem quem actiones ex contractu, easdemque proprietates habent, sed *fundamentum* agendi, praeter illud quod ex contractu est *nouum* sortiuntur a).

a) BÖHMER de Act. Sect. II. Cap. X. §. 1. sq.

§. 19.

§. 19.

Quod fundam. consistit.

α) *In consensu.*

1) *Specialiter*

2) *Generaliter declarato et*

β) *in versione in rem.*

Illud fundamentum apte quidem in *remotum* et *proximum* diuidi potest, sed de illo, quod naturali ratione consistit in *lege*, nulla huius loci est quaestio. Potius mihi loquendum erit de *proximiori* α), quod, nisi me fugit *duplex* est et vel α) in *consensu* in hoc pactum, s. 1. *specialiter*, s. 2. *generaliter* declarato, vel β) in *versione in rem* ponitur.

α) Nonnulli hoc fundamentum in genere vocant *adiectitiam qualitatem*. SCHMIDT v. Klagen und Einreden §. 13. BÖHMER de Act. Sect. II. Cap. I. §. 1. Glück Erl. d. Pand. T. IV. §. 315. p. 303. Nec autem defunt doctr. cum hac voce latiore significatum qui coniungunt. V. g. Ioh. Henr. BERGER. in Diss. de adiectitiarum qualitatibus fontibus Witemb. 1687. in diss. select. nr. XII. Lud. Ern. HERTIVS, Diss. de Actionib. adiectitiar. qualit. ear. vsu hodierno. Jen. 1718.

§. 20.

Consensus specialiter declaratus.

Prius fundamentum talis obligationis cum in *consensu*, a domino negotii in hoc pacto, et quidem *specialiter* de-
cla-

clarato, consistat, enumerabimus illos casus, in quibus haec obligatio ex alterius pacto nata, in eo fundari nobis videtur, et tunc secundum ordinem in § antecedenti praescriptum, et de aliis, paucissimis fieri quibus potest verbis, aliqua memorabimus.

§. 21.

M a n d a t u m.

a) *Iure antiquo.*

Primus qui nobis se offert casus, est obligatio mandantis ad praestanda ea quae a mandatario secundum formam mandati in contractum cum tertio sunt deducta. Quam obligationem in toto suo complexu nec latet ius rationale a). Sicuti autem de iure stricto certissimum est, ex alterius contractu neminem obligari b) ita de iure civili antiquo mandanti per mandatarium, exceptis quibusdam casibus quos HERTIUS c) enumerat, absque cessione nulla nec obligatio nec actio quaesita fuit d).

a) cf. Allgem. Gef. B. für die Pr. Staaten Lib. I. Tit. 13. §. 33. sq. in quo optima de hac materia obtinentia principia naturalia inveniuntur.

b) L. 3. in f. C. ne vx. pro mar. §. 10. I. de Act.

c) JOH. NIC. HERTII Diff. de Obl. mandantis et mandatarii contemplatu tertii §. 3. seq. in comment. atque opusc. Vol. I. T. III. p. 104. seq.

d) BÖHMER introd. in ius Dig. t. Mand. vel contra §. 8.

b) *Iure nouo.*

Iure autem nouo magis sequimur principia iuris rationalis et concedimus *utilem* tertio cum mandatario qui contraxerit, *actionem* in mandantem, ad *exemplum actionis infitoriae a)*. Quemadmodum vero infitoriae actionum demum locus fit, vbi contractus secundum legem praepositionis fuit initus b), ita idem in eius utili adplicatione obtinere, facile intelligitur. Sufficit tamen, contractum esse, secundum legem mandati manifesti; illud enim obligat mandantem tertio. Et quamuis mandatarius limites praescriptos et mandata sibi tantum cognita fuerit transgressus, gesta nihilominus rata manent, saluo tamen regressu contra mandatarium c). Aequius enim est, dolum mandatarii mandantem magis nocere, quam vt ille, qui bona fide cum mandatario contraxit, et in iusta ignorantia fuit, eo ipso citra omnem suam culpam laedatur et decipiatur d). Idem obtinet si dominus extra limites mandati, quod gestum est *rati habet e)* quod non opus est vt expressis fiat verbis, sed etiam *tacite* fieri potest v. g. petendo id quod procurator stipulatus fuerat f).

a) L. 13. §. 25. D. de Act. E. V. HERTIVS l. c. §. 9.

b) L. 5. §. II. L. II. §. 5. D. L. 3. C. de inst. act. L. 10. C. de procurat.

c) I. H. BÖHMER de Act. Sect. II. C. 10. §. 9. not. m. Introd. in ius D. l. c. §. 15. f. L. 31. pr. D. de procurat. L. I. §. 9. de Eerc.

act. HVGCO, GROTIUS de I. B. et. pac. Lib. II. Cap. 11. 12. Lib. III. Cap. 22. §. 4. cum hoc sit principium iuris rationalis, ex eo colligi potest, in quantum pacta legatorum contra mandata arcana (geheime Instruction) inita, obstringant rempublicam mandantem, cf. IACOB philosophische Rechtslehre (Halle 1795) §. 369 in der Anmerk.

d) L. 11. §. 2. de inst. act. L. 5. pr. D. de trib. act. L. 1. §. 9. L. f. pr. D. de exerc. act.

e) L. f. C. ad Set. Maced. Cap. 10. de R. I. in 6to.

f) cf. MEV. P. II. Dec. 140.

§. 23.

Remedium, quo ius suum persequitur tertius.

Remedium, hoc ius contra mandantem, quo persequitur is, qui cum mandatario secundum legem mandati contraxerit, est *utilis actio* ex contractu procuratoris, cuius, cum ad exemplum *institutoriae actionis* introducta sit, inuoluit nomen, *quasi institutoriae a)* siue *utilis quasi institutoriae* L. 10. §. 5, Mand. v. contr. siue *utilis institutoriae* L. 19. pr. de inst. Act. Tendit ad omnes obligationes quas antea memorauimus et ab institutoria actione directa, de qua mox plura persequemur nullo differt respectu (cf. §. 29. 30.).

a) cf. HERTIVS l. c. §. 9. L. pen. C. de inst. et exerc. act. L. 13. §. 25. D. de act. E. V. SCHMIDT von den Klagen und Einreden §. 1043. ECKARD Exam. Act. for. Tit. de Instit. act, membr. IV. et V. BÖHMER de Act. l. c. §. 9.

§. 24.

§. 24.

I u s s u s.

Maximam cum mandato habet affinitatem illud negotium, pater siue dominus si filium seu seruum iubet, certum pactum intuitu peculii profectitii inire; et ab eo tantum in eo differt, quod *iussus* cum imperio coniunctus sit, mandatum autem libera voluntate contrahatur *a*). Hinc pater siue dominus quatenus iussit, in solidum tenetur; nec refert iussum fuisse antecedentem siue concomitantem siue subsequenter. Rati habitio enim aequiparatur mandato *b*), illa quidem et *tacite* fieri potest, quo circa praesumitur patrem iussisse si chirographo filii subscripserit *c*). Naturali autem ratione praesupponitur ut iubens habeat facultatem se obligandi: qui enim ipse contrahere nequit, neque inbere ea sine potest, ut ex hoc iussu obligetur tertio *d*).

a) L. 1. §. 4. D. mand. vel contra. L. 17. §. 3. Commod.

b) L. 1. §. 6. D. quod iussu L. f. C. ad Set. Maced.

c) L. 1. §. 1. D. quod iussu, cf. ECKARD I. c. h. t. membr. II.

d) Cum eo enim qui iubet quodammodo contrahitur L. 1. pr. D. quod iussu, L. 7. §. 1. C. quod cum eo.

*Remedium, ad hanc persequendam obligationem,
Actio quod iussu.*

Ad hanc patris dominiue obligationem persequendam, tertio, qui cum filio familias siue seruo, iussu eorum contraxit, iure praetorio data est *actio quod iussu*, quae est *actio praetoria* personalis adiectitia qualitate aucta, illis eorumque heredibus competens, qui cum seruo vel filiofamilias iussu patris siue domini, contraxerunt, in patrem siue dominum eorumque heredes ad praestandum in solidum, id, quod ex contractu inito debetur a).

a) §. 1. I. quod cum eo qui in alien. §. 2. eod. L. 1. pr. D. quod iussu cf. BÖHMER introduct. in I. Dig. h. t. ECKARD Exam. Act. h. t. membr. I. SCHMIDT l. c. §. 1400 sq. OLDENDORF in programm. act. for. class. 4. Act. 7. LAVTERBACH colleg. theor. pract. Lib. 15. Tit. 4. §. 9. STRYCK U. M. dig. Lib. 15. Tit. 4. §. 2. Si pater per filium in propriam utilitatem contrahebat directo ex ipso contractu conueniri poterat. L. f. pr. D. quod iussu. Hodie non facile obtinebit, cum nobis non vitatum sit, filiisfamilias dare peculium, sed si, ut suo periculo negotientur velimus, patriam potestatem ope institutionis separatae oeconomiae relinquunt. In Iudaeos tamen nonnunquam locum habebit, cum in plerisque Germaniae ciuitatibus, vnusquisque Iudaeus sui iuris, certum vectigal pro tutela (in vernacula Schutzgeld vocatum) soluere teneatur, ideoque eorum diuersa sit ratio.

§. 26.

Vtiliter adplicatur.

Vtiliter etiam hoc remedium (sed admodum incongrue) adplicari volunt, ad illarum obligationum persecutionem, quae ex contractu cum homine sui iuris, alterius negotia administrante iussi negotiorum domini, celebrata, fluunt v. g. si mercator cum vxore mariti, aut milite, ducis iussu, contraxerit a).

a) Arg. L. 7. §. 1. C. quod cum eo ef. ECKARD l. c. membr. 3.

§. 27.

Consensus generaliter declaratus.

Iam me verto ad illa negotia, *mandatum generale* ad contrahendum, quae continent, ideoque illum, tale mandatum qui dedit, obstringunt, ad praestanda ea, quae secundum voluntatem suam declaratam, in contractum cum tertio sunt deducta.

§. 28.

Praepositio infitoris.

Talium mandatorum generalium species, praesertim ideo memorabilis, quod ansam dedit dispositioni, vt mandans, ex contractu procuratoris, absque facta cessione, directo conueniri queat, est *infitoris praepositio*.

D 3

Infitor

Institor quis?

Institor autem appellatus est ex eo, quod *negotio gerendo instet*; nec multum facit tabernae sit praepositus aut cuilibet alii negotiationi: cuiusque enim negotio praepositus sit, recte institor appellabitur *a*).

a) L. 3. L. 4. pr. D. de instit. act. L. 13. eod. Principia huius negotii generalia inueniuntur in Allgem. Gesetzb. für die Pr. Staaten. Th. 2. Tit. 8. Abschn. 7. §. 497. sq. olim eum in patria siue dominica praepONENTIS potestate esse oportuit, quod hodie non requiritur, cum naturali ratione, in obligatione inter dominum et tertium contrahentem, hic nexus nihil mutet.

§. 29.

Actio institoria.

Remedium, hanc obligationem praepONENTIS quo persequitur is, qui cum institore, secundum legem praepositionis contraxerit, eiusque heres, est *actio institoria* quae est; adiectitiae quae sitatis et perpetuo *a*) datur ex contractu in eum, qui institorem negotiationi quae situariae praeposuit, eiusque heredes, ad praestandum id, quod in contractum est deductum *b*).

a) L. 15. D. de inst. act.

b) Cf. BÖHMER de Act. l. c. §. 7. SCHMIDT l. c. §. 1397.

§. 30.

§. 30.

Requisita.

Requirat I. vt fit contractum cum inslitore II. idque secundum legem praepositionis neque vltra hoc dominus obligatur, nisi forsan, ex versione in rem suam factam. Habenda tamen et in hoc negotio, est ratio illius regulae vt qui ius habeat ad finem, ad illum etiam media concessa videantur. Ceterum nec alia principia in hoc negotio obtinent, quam sunt ea quae §. 21 - 23 a nobis iam sunt enumerata a).

- a) Quatenus haec principia adplicari possint, ad ministros quos mercatores ad ministerium mercaturae adhibere solent v. BÖHMER de Act. Sect. II. Cap. X. §. 7. not. k.

§. 31.

Praepositio magistri navis.

Alia mandatorum generalium species, memorare quam opus est, quippe quae fundamentum praebet, obligationi domini, quem in hoc nexu, *exercitorem a)* vocamus, est *praepositio magistri navis b)*, cuius contractus, secundem legem praepositionis initi, aequè obligant exercitorem.

- a) L. I. §. 15. D. de Exerc. act. „*Exercitorem autem eum dicimus ad quem obventiones et redditus omnes perveniunt, siue is dominus navis sit, siue a domino navem per auersionem conduxerit vel ad tempus vel in perpetuum*”.

b)

b) L. I. §. I. eod. "Magistrum autem navis accipere debemus, cui totius navis cura mandata est", differt ergo ab *institore* in eo, quod ille, negotiationi quaestuariae terrestri, hic autem negotiationi quaestuariae maritimae, praepositus fit.

§. 32.

Nonnulla huius negotii singularia.

Illud habet singulare, quod magistri navis substitutus, quem sibi substituit, quamvis exercitor eum expresse aliquem substituere prohibuerit, aequè obliget dominum, quam magister navis ab eo ipso praepositus. Quod tamen, cum in specialem nauigantium vtilitatem introductum generalibus iuris regulis autem toto coelo contrarium fit, nullam patitur ad alia negotia extensionem a).

a) L. 14. D. de LL. dissentit LAVTERBACH Tit. de Instit. act. §. 6.

§. 33.

Actio exercitoria.

Remedium quo agimus cum exercitore (in magistrum enim durante officio, datur actio ex ipso contractu directa a) est *actio exercitoria*, quae adiectitiae qualitatis datur ei, qui cum magistro navis, siue eius substituto, secundum legem praepositionis contraxit, eiusque heredibus contra exercitorum eiusque heredes, ad implendum id, quod in contractum est deductum b).

a) L.

a) L. fin. D. h. t.

b) §. 3. I. quod cum eo qui. Exercitoria tunc habet locum, cum quis feruum suum magistrum naui praeposuerit, et quid cum eo eius rei gratia, cui praepositus erit, contractum fuerit. Illam tamen actionem praetor reddit et si liberum quis hominem, aut alienum feruum naui praeposuerit, quia eadem aequitatis ratio etiam eo casu interueniet. — De usu huius actionis cf. STRYCK V. m. h. t. §. 13. SCHMIDT von Klagen und Einr. §. 1346. §. 1404. sq. ECKARD l. c. h. t. membr. I. II. III. BÖHMER de Act. Sect. II. Cap. X. §. 2. sq. ADRIAN TEMMERINK de Exerc. act. Basfl. 1663. VOET comment. ad D. h. t.

§. 34.

R e q u i s i t a.

Requirunt uti Infitoria I. ut sit contractum cum magistro nauis II. idque secundum legem praepositionis, siue in aliqua re, sine qua nauigatio expediri non potuit, in quo casu concurrunt electiue cum actione de in rem verso, de qua infra §. 44. 45. Alias conuenit cum Act. infitoria, nisi quod in hac, facilius admittatur lex tacita praepositionis, quod aequae in utilitatem et fauorem nauigationis introductum est a).

a) cf. BÖHMER de act. l. c. §. 3. in f. L. r. §. 8. 9. L. f. pr. et in f. D. h. t.

E

§. 35.

Concessio peculii.

Aliud fundamentum, ex quo denique propter consensum pro generaliter declarato acceptum, leges aliquem, alterius contractu obligari volunt, positum est in *concessione peculii* a domino patreue facta: permissionem enim ad contrahendum, sub hac concessione generaliter laitare volunt a), quocirca pater seu dominus, filio siue seruo peculium qui concessit, ex pactis validis quae circa id iniere, obligatur *peculiotenus* praestare, quod in contractum est deductum. Cum autem patrimonium non intelligatur, nisi deducto aere alieno et pater antea deducit, quod ei debet filius b).

a) L. 46. D. de peculio §. 10. I. de act. STRYCK V. M. Lib. XV. Tit. I. §. 2.

b) §. 5. I. quod cum eo qui in alien. pot. §. 6. eod.

Tantum vim exserit in peculium profectitium.

Cum autem fundamentum huius patris siue domini obligationis positum sit, in *concessione peculii* sponte sequitur huius edicti praetorii dispositionem, tantum de peculio profectitio valere, neque extendendam esse, ad alia peculiorum genera v. g. aduentitiorum ordinariorum s. extraordinariorum a).

a) Nec

- a) Nec ad peculium castrense siue quasi castrense, respectu quorum filius, pro patrefamilias habetur eique libera competit administratio; quocirca quoad bona ad illa pertinentia, solus filius conueniri potest. BÖHMER de act. l. c. §. 16. — id. introd. in ius D. Tit. de peculio §. 23-25.

§. 37.

Quaestio utrum haec obligatio patris iam sit iuris rationalis? tantum est facti.

Magnam doctorum nonnulli mouerunt litem de quaestione: *utrum haec obligatio patris siue domini iam ex iuris rationalis principii deriuari queat?* quae nobis tamen, magis facti quam iuris esse, videtur. Nam videndum erit, *utrum concessio peculii, semper consensum tacitum, in omnes filii contractus contineat?* quod simpliciter neque affirmandum neque negandum auderem a).

- a) cf. MENKE Diff. de factorum indole in tacitis renunciationibus l. c. quo generalia principia, ex quibus decidi queat haec quaestio, inueniuntur.

§. 38.

Actio de peculio.

Ad hanc obligationem patris siue domini praesequendam, datur *actio de peculio* a) quae est praetoria, adiectitia qualitate instructa, et datur ei, qui cum seruo vel filio familias, peculium profectitium habente, contraxit, eiusue

E 2

here.

heredibus, in dominum siue patrem familias, vt deductis eis, quae ei a filio siue seruo debentur, peculiotenus praestet, quod in contractum est deductum.

Haec atio, licet pro natura contractus vel negotii a filio s. seruo suscepti, perpetua sit, attamen soluta patria siue dominica potestate, annalis esse incipit b).

a) §. 10. I. de act.

b) Tit. ff. quando de pec. act. annal. est. Lib. XV. Tit. II.

§. 59.

Eius vfus est tenuissimus, tributoriae actionis nullus.

Cum seruorum hodie nullum a) et filiorum familias perraro peculium sit profectitium, (cf. §. 25. not. a) vfus huius remedii erit tenuissimus. Quam ob causam, huius scriptiunculae vitiis non adnumeramus, quod paucissimis tantummodo verbis, hanc obligationem, multis in capitibus controuersam, absoluerimus, et *Actionis tributoriae* hac occasione olim nonnumquam creditori in patrem s. dominum competentis, vix mentionem fecerimus. Haec enim actio, patri, diuisione bonorum filii obaerati, non amplius competente, sed soli iudici, qui sententiam prioritatis inter creditores pronunciat, hodie ne vnquam locum habere potest b).

a) STRYCK V. m. l. c. §. 2.

b) Lectori curioso, plura, de theoria duplici, quam sibi formant DD. de vfu huius actionis antiquo, legere cupienti, commendare possumus

mus

mus. VOET et BRUNNEMANN Comment. ad D. Tit. de Tributoria actione. BÜHMER de act. l. c. §. 17. SCHMIDT v. Klagen u. Einred. §. 1428 sq. ECKARD. Ex act. Tit. de Trib. act. Membr. I-V. SCHILTER Exerc. ad Dig. Exerc. 27. §. 47. LAVTERBACH colleg. theor. pract. Lib. XIV. Tit. IV. in f. STRYCK U. m. eod. eod. §. 1.

§. 40.

Versio in rem.

Aliud fundamentum, vi cuius alicui nancisci queat obligatio ex pacto inter alios conuento, leges posuerunt in *versioe in rem*: quia nihil iuris rationalis principiis tam contrarium est, quam vt quis iactura siue damno alterius fiat locupletior a). Si quis ergo mei gratia contraxerit cum tertio, teneor praestare id, quod ex hoc contractu debetur, in quantum in rem meam et versum.

a) VOET. Comment. ad Dig. Tit. de in rem verso §. 1.

§. 41.

Ius praetorium doctrinam seueram iuris civilis ant. hac in materia obtinentem emendavit.

Secus hoc fuit iure ciuili antiquo, secundum quod certissimum erat ex alterius contractu neminem obligari a). Hanc asperam atque acerbam doctrinam praesertim hoc casu emendatione indignisse, nemo facile inficias ibit. Hinc

E 3

prae-

praetores dabant actionem, si in rem alicuius contractum in eamque versum fuisset; quae quidem initio, restricta erat ad contractus *fili* vel *serui*, si in rem patris siue domini contraxerant, non item ad contractus extraneorum qui in rem tertii negotium peregerant, sed pedetentim forensi interpretatione latius, ultra casus designatos, extensa fuit b).

a) L. 3. in f. C. ne vxor pro mar. L. 27. §. 4. in f. de pact. L. 82. D. pro socio.

b) BÖHMER (I. H.) de iure ex pacto tertii quaesito §. 16. in Exercit. ad Dig. Lib. II. Tit. XIV. Exerc. 28.

§. 42.

In rem versum quid sit?

Cum princeps huius obligationis fundamentum consistat in *Versione in rem a)* potius videndum erit, quid tandem fit *versum?* et dicendum est in eius rem versum esse, cuius patrimonium, impendio bonorum l. virum tertii, vel conseruatum, vel auctum vel melioratum est b). Quod naturale principium, doctrinae iuris romani omnino conuenit c).

c) Sunt DD. huius obligationis fundamentum consistere qui volunt in *quadam praesumpta voluntate*. BÖHMER Diss. c. §. 3. in m. §. 16. in m. quae tamen sententia nos vel maxime offendit. Haec enim praesumpta voluntas ad illam Drum. fictionem *consensus ficti* nobis inclinare videtur. Vere autem ridicule esset, leges si praesumerent, aliquem
quid

quid velle, qui nec iuris intellectu, nec naturaliter, vllam habere potest voluntatem, quod tamen contendere oportet eum, supra memoratam sententiam, qui defendit, nam furiosi et infantes dubio procul ob versionem in rem tenentur — ergo ipsa lex est, quae obligat eum, in cuius rem versum est.

- b) Gesetz. für die Preussischen Staaten Th. I. Tit. 13. §. 232.
c) L. 5. pr. D. de in rem verso L. 12. eod.

§. 43.

Quatenus impensae utiles necessariae et voluptuariae.

Ex hoc principio sponte resultat dispositio, impensas necessarias in totum; vtiles autem tantum in quantum vtiles fuerunt, in rem versas videri a). Quod autem solius voluptatis causa impensum est, numquam eatenus in rem versum esse videtur, vt condici queat a domino, nisi eius accedat consensus siue ratihabitio. Habet tamen hoc impensum qui fecit, ius tollendi, si absque detrimento rei principalis exerceri, et ei aliquam vtilitatem praebere possit. Dominus e contrario, si mauult vt coniunctae maneant, gaudet iure offerendi actori, pretium quod haberent haec res a principali separatae b).

a) Voet. comment. ad Dig. T. de in rem verso §. 4.

b) Voet l. c.

Actio de in rem verso.

Remedium praetores quod dederunt, ad hanc obligationem persequendam est actio *de in rem verso*; quae adiectitiae qualitatis datur ei, qui contraxit cum altero in tertii utilitatem, aduersus hunc tertium, ad praestandum id, quod in eius utilitatem impensum — est *directa et utilis*, prout negotiorum gestor seruus et filius seu extraneus fuerit domino negotii quae distinctio in effectu tamen, nullius interest a).

a) L. 7. C. §. 1. quod cum eo qui in alien. pot.

Requisita.

Requirat I. *ut intuitu eius quem obligari volumus contractum a)*; nec sufficit si per quandam consequentiam in rem domini versum sit: aliquando tamen tantum vi exceptionis, haec datur actio, et si non ab initio acceptum sit, in rem patris siue domini, sed in peculium, ac postea tamen, mutata mente, per filium aut seruum, in rem patris aut domini versum appareat, ne cum creditoris damno ditiores fiant b). II. *ut in rem eius versum sit*. Quod probare oportet actorem c) sufficit autem, versionem semel factam esse, neque liberatur dominus, hac utilitate, immo re principali ipsa, tempore sequente, casu interita d). Cum
autem

autem ratio et aequitas huius actionis eo consistat, quod neminem, cum damno alterius locupletiolem fieri oporteat, facile sequitur nullum ei dari locum, si dominus negotiorum gestori iam restituerit, impensas in rem eius factas.

- a) L. 7. §. 4. 5. L. 10. f. L. 11. D. de in rem verso. BÖHMER introd. in I. dig. h. t. §. 2.
- b) L. 3. §. 1. f. L. 5. §. 3. D. eod. Voet. comment. h. t. §. 3. L. 10. D. eod. exempl.
- c) §. 5. I. quod cum eo qui in alien. pot. L. 7. L. 12. C. eod. — Quam probationem etiam ex circumstantiis peti posse patet ex l. 6. pr. et §. 1. D. de usuris.
- d) L. 3. §. 7. 8. L. 17. pr. D. de in rem verso. L. 10. §. 1. D. de negot. gest.

§. 46.

Quis sit actor?

Actor in hac actione, est is, qui cum negotiorum gestori, in alicuius utilitatem contraxerit, eiusque heres a), in eoque praesertim differt, ab actione *negotiorum gestorum contraria* cum in hac, negotiorum gestor ipse, conveniat dominum negotii, ut eum indemnem praestet libertaque ab obligationibus, intuitu eius susceptis.

- a) cf. SCHMIDT I. c. §. 55. §. 1417. §. 4. I. quod cum eo qui in alien. pot. L. 7. §. 1. C. eod.

Quis Reus.

Reus est is, in cuius utilitatem contractum est a) eiusque heres. — Si autem accidat, eum ratihabuisse negotium gestum, multo vtilius conuenitur actione *quasi institoria*, cum in hac, actor non teneatur suscipere, difficillimam ver-
sionis in rem factae, probationem b).

- a) §. 4. I. c. L. i. pr. D. de in rem verso. L. 7. pr. C. quod cum eo qui in al. pot. — quatenus aliquando etiam tertius rei professor. v. LEYSER med. ad dig. spec. 167.
- b) Cf. STRYK caut. contract. Sect. II. Cap. i. §. 16. sq. Vfus modern. Lib. XV. Tit. III. §. 6. sq. Tract. de act. for. sect. I. membr. 8. §. 23. ECKARD ex. act. for. P. XII. Sect. I. act. 12 membr. I-IV.

THESES.

THESES.

- I. *Distinctio modorum tollendi obligationes, ipso iure et ope exceptionis, et hodie, maximum praestat usum.*
- II. *Poena adulterii ad malitiosam desertionem uxoris non est extendenda.*
- III. *Qui virginem corruptam quam putat esse castam, uxorem ducit, ad dissolutionem matrimonii agere potest.*
- IV. *Furiosus haud tenetur, ad damnum resarciendum.*
- V. *Exceptio partus incerti, liberat stupratorem ab alimentorum praestatione.*

VI.

VI. Stuprum simplex iure hodierno, poena infamiae non est puniendum.

VII. Occupatio est modus acquirendi naturalis.

VIII. In iure nulla aequitas est admittenda, nisi speciali lege sit confirmata.

IX. Negotiorum gestor, de regula praestat culpam levisimam.

T H E S I S

I. Distinctio negotiorum gestorum a mandato et a iure ce
II. Quae auctoritas de negotiorum gestorum iure
III. Quae auctoritas de negotiorum gestorum iure
IV. Quae auctoritas de negotiorum gestorum iure
V. Quae auctoritas de negotiorum gestorum iure



ULB Halle

3

004 813 057







1798, 6

~~1049~~

61

COMMENTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
NONNVLIS FVNDAMENTIS
OBLIGATIONVM
EX PACTO TERTII QVAESITARVM.

Q V A M

SVB AVSPICIIS REGIIS

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRO SVMMIS

IN VTROQVE IVRIS HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS

PVBlice DEFENDET

DIE VII. APRILIS cIoDccxcviii

FRIDERICVS LANG

LVBECO - HOLSATIENSIS.

GOTTINGAE,

IN OFFICINA BARMEIERIANA,